

Coniectanea critica.

1.

De additamentis, quae Senecae de morte Claudii ludo interposita sunt, quid sit statuendum, paucis volo exponere. Non dico ea glossemata quae iam in vetustissimos libros, Sangallensem (S) et Valentianensem (V), inrepere, qualia sunt et c. 8 'a Saturno cuius mensem toto anno celebravit *Saturnalia eius princeps*' deletum a Lipsio et c. 9 'censeo ne quis post hunc diem deus fiat ex is qui ἀρουρης καρπὸν ἔδουσιν aut ex is quos alit ζεῖδωρος ἄρουρα', quod ut sede sua depelleretur Heinsius atque Schefferus frustra monuerunt, et alia quae alias probabo librariis potius tribuenda esse quam Senecae. Mitto etiam minores illas interpolationes, quarum causa haec erat ut aut perperam intellexerent traditam scripturam aut non perfectum enuntiatum esse sibi persuaderent: sic c. 3 cum quod est in V 'Quid huic et respondit invides?' hoc ordine collocatum esset 'Quid huic invides? Et respondit', Parisinos libros qui scripsere addiderunt postea 'Tum ille: Fac quod faciendum est'; sic c. 5 'Vbi haec, Claudius gaudet esse illic philologos homines' ortum esse ex eo quod antecedit, TOKHEC Orellius vidit; sic pro ignota illa Tristionia c. 11 editores nescio an Assarionis nomine, quod subsequitur, decepti substituerunt *Bassioniam* et ignorantes Latini sermonis scripserunt 'Hunc deum quis colet? quis credet in eum? denique'; sic c. 13 'Celerius praecedito', 'Claudius Caesar', 'Ecce extemplo cum plausu

procedunt', 'Nec non ad Messalinam' παρεμβεβλημένα sunt supervacanea omnia, ex parte etiam falsa. Haec vero et si quae similia sunt, ut inprobam testantur lubidinem qua Senecae ille libellus vexatus est, ita accuratius ideo tractare supersedeo quod iam sublata a Fickerto sunt; Haasius autem cum *Bassioniam, praecedito, Caesar, Ecce exemplo* quamvis seclusa reduceret in perpetuitatem orationis, reliqua ommitteret, inconstantius egisse iudicandus est. Atque ampliora additamenta non esse Senecae si probaverim, minora illa eadem sententia damnari apparet. Nam non singula tantum vocabula sed etiam tota enuntiata ad arbitrium conficta stolidaque temeritate scriptori obtrusa et ad hunc usque diem per varia exemplaria continuo propagata sunt. Fickertus enim etsi plurima delevit et alia esse suspecta significavit, non nulla tamen quasi nihil dubitationis haberent reliquis Senecae verbis immiscuit. Quod non convenire Haasius cum vidisset ad severam editoris diligentiam, tutum arbitrabatur, quia fons illorum et origo nondum explorata esset, 'pariter omnes locos retinere uncis inclusos, quamvis probabile sit, eos nihil aliud esse nisi supplementa Nodotianis similia, seculo XV confecta, quae in paucis haud inficeta iudices, sed maximam partem frigida et sine idonea causa conficta'. Quamquam hic quoque paululum eo peccavit quod pleraque utpote non firmata auctoritate librorum minutis litteris perscripsit, quaedam eisdem quibus S et V codicum glossemata et dittographias. At vero mihi haec via ingredienda videbatur, ut de origine additamentorum securus ante omnia num quid ipsa valerent, indagarem: si quidem nihili esse si demonstretur, quis ea nebulo commentus sit, non multum refert. Ceterum brevitati ut consulerem, gravissima commemorasse argumenta satis duxi. — c. 1 'Quid actum sit in coelo ante diem III. id. Octobr. *Asinio Marcello, Acilio Aviola* coss. anno novo initio saeculi felicissimi, volo memoriae tradere.' Consulium nomina non modo ab S et V absunt verum etiam a Guelferhytano et Tristilo Dalechampii et Parisinis tribus. Addendum autem est

Parisinos codices tam non accurate collatos esse, ut e silentio non possit concludi; immo quoniam ad unam familiam omnes undecim pertinere atque easdem habere lacunas Rubkopffius tradidit, ne in reliquis quidem legi consules probabile est. Et Senecam non nominasse eos pro certo habeo; nam praeterquam quod qui 'anno novo initio saeculi felicissimi' tum legebant, eis dubium non erat quo illa anno acta essent, non condebat Seneca historiam, sed ludum ad delectandum homines cachinnosque commovendos componebat. Subitaria igitur haec erat scriptio brevissimo post Claudii mortem tempore confecta, quod et Cassius Dio intellexit et ex oratione ambituque libelli facile colligitur. Quapropter scriptor mirum ni omisit consules, inseruit autem nescio quis e Suetonii Claud. 45 'Excessit III. id. Octobr. Asinio Marcello, Acilio Aviola coss.' — c. 3 'Sed Clotho: Ego mehercules, inquit, pusillum temporis adicere illi volebam, dum hos pauculos qui supersunt civitate donaret. Constituerat enim omnes Graecos, Gallos, Hispanos, Britannos, *Sauromatas et si qui ultra glaciale Boream incolunt barbari*, legatos videre'. Haec qui defenderet, nemo dum exstitit praeter Rubkopffium stupido Claudio et temulento digna putantem. At tamen non Claudius loquitur sed ipse scriptor, Clothonis illud 'dum hos pauculos civitate donaret' suo hoc enuntiato serio interpretatus. Itaque Graecos, Gallos, Hispanos, Britannos composuit re et veritate subiectos imperio Romanorum; Sarmatas autem et qui ultra orbem terrarum habitarent nimis inepte et insulse esse adiunctos omnes consenserunt. Visne scire cur Graecorum poetarumque more 'Sauromatas' interpolator appellaverit et quo exemplo absurdum hoc 'ultra glaciale Boream incolunt' finxerit? Iuvenalem meminerat sic satiram II exordientem 'Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glaciale Oceanum'. Summa rei, fidem illis praestabit auctor, id est 'auctiora quaedam exemplaria una cum codice Weissenburgensi Beati Rhenani'. — c. 4 'Ultima vox eius haec inter homines audita est, cum maiorem sonitum emisisset illa parte qua facilius

loquebatur: Vae me, puto concacavi me. Quod an fecerit nescio: omnia certe concacavit. *Nec post boletum opipare medicamentis conditum plus cibi sumpsit*'. Opipare ornatam villam, opipare apparatus suppellectilem, opipare epulas instructas antiquissimi scriptores et sectatores antiquitatis dicebant, opipare coctum cibum, boletum opipare medicamentis conditum Romanus nullus umquam dixit. Tum veneficii hic mentio non potuit fieri, quandoquidem et verecundiam necesse erat Agrippinae Neronisque haberi et tota de Parcis narratione non violenta Claudium morte necatum sed fato functum esse Seneca simulaverat. Praeterea mirae simplicitatis erat, postea quam animam Claudium ebullisse ac desiisse vivere videri et de ultimo eius studio ultimaque voce relatam est, addere 'nec plus cibi sumpsit'. Manifesto autem imitator reprehenditur Iuvenalis V, 147 'Boletus domino, sed quales Claudius edit Ante illum, post quem nil amplius edit'. Itaque valere iubeamus, e quibus additamentum illud emanasse fertur, 'quaedam auctiora exemplaria'. — c. 9 'Multa dixit de magnitudine deorum: non debere hunc volgo dari honorem. Olim, inquit, magna res erat deum fieri: iam famam mimam fecistis, *etiam pessimum quemque illum affectare*'. Quae cum non ad eum locum quo sunt posita pertinere eluceat, tum indirecta orationis constructione et 'illum' vocabulo ostenditur adscripta esse his quae praecesserunt 'non debere hunc volgo dari honorem'. Quamobrem etiam si in manuscriptis libris legerentur, interpreti, non Senecae deberi ea contenderem. — c. 11 'Ecce Iuppiter, qui tot annos regnat, uni Volcano crus fregit, *et in Lemnon coelo deturbavit, non extinxit*'. Sic Erasmiana a. 1515 editio. In quo mirere gravem oratorem poetae usum licentia ordinem temporum invertere, nisi cui veteris fabulae nova haec descriptio magis placeat ut primo crus Volcano Iuppiter fregerit, tum de caelo deturbaverit in Lemnum. Atqui codicibus haec traduntur 'crus fregit, quem *ῥῆψε ποδὸς τετραγῶν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίω*', in Guelferbylano Homericus versus spatium vacuum

relictum est. Quis igitur dubitabit quin illis Erasimianae editionis verbis male expleta ea lacuna sit quae in Guelferbytano similibusque libris reperitur? — c. 11 ‘Cogitate, P. C., quale portentum in numerum deorum se recipi cupiat. *Principes pietate et iustitia dñi sunt. Scilicet hic pius et iustus, quoniam Druidarum perfidae gentis Gallicae immanem religionem, a qua cives submoveram, prorsus extirpavit, ut Romae nuptiarum sacra essent, quibus ipse, cum sibi Agrippina nuberet, XXX senatoribus innumeris Eq. Rom. mactatis, principium dedit.* Hunc nunc deum facere vultis? Videte corpus eius dis iratis natum’. Vt dixerit haec Augustus, non dixit hoc loco ubi quale portentum ἀνοθέωσιν suam concupiscat demonstraturus, corpus ac speciem Claudii ut observent caelestes senatores rogat. Verum omnino non dixit talia Augustus: nec enim cum acerbitate continuo vituperans Claudium de Druidarum religione abolita laudare debebat, quod qui intellexerant, correxere ‘religionem advexit, nostram prorsus extirpavit’, nec verum est tot senatores et equites Romanos tum occisos esse, cum Agrippinam Claudius duce-ret. Singulas autem ineptias, ‘nuptiarum sacra quibus principium dedit’ et ‘cum sibi Agrippina nuberet’ aliasque exagitare nolo. Fontes autem istius interpolationis, cui codicis nullius testimonium suffragatur, erant Suetonii Claud. 25 ‘Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit’ et Senecae Lud. 14 ubi a Pompeio Pedone Claudius accusatur quod occidit ‘senatores XXX, equites Rom. CCCXV atque plures’, cf. Suet. Cl. 29. — c. 12 ‘Fundite fletus, edite planctus, *fugite luctus*’. Duos hos anapaestos S et V et liber Curionis omittunt; Guelferbytanus sic testatur ‘fugite mugitus’, Rhenani codex ‘fugite mugitus’: unde hoc additamentum reliquis antiquius esse patet. Falsum autem esse, ut quod maxime, eo efficitur quod naeniam illam quasi vere ac serio Romae cantatam ita Seneca composuit ut nusquam corripere Claudium verum etiam vitia eius converteret in laudes.

Omnis igitur festivitas periret, si graviter admonito populo, ut defleret unicum imperatorem, subiunxisset 'fingite luctus'. Quid quaeris? 'luctus' qui scripsit aequè erravit ac Rhenanus 'iungite questus' coniciens: nimirum recte sese habet 'fingite mugitus', modo per iocum esse a librario metrorum non intellegente additum statuamus. — c. 13 'Antecesserat iam compendiaria Narcissus libertus, *dominus domini* ad patronum excipiendum et venienti nitidus, ut erat a balneo, occurrit et ait: Quid di ad homines? Celerius, inquit Mercurius, et venire nos nuntia. *Ille autem patrono plura blandiri volebat; quem Mercurius iterum festinare iussit et virga morantem impulit.* Dicto citius Narcissus evolat.' Transeo illud 'dominus domini' quod etsi acutius excogitatum est, tamen secundum codicum auctoritatem eo magis oportet eici, quod hoc servato 'libertus' nimium langueret. Ea autem quae subsecuntur tantum abest ut facete vel ingeniose dicta sint, ut per se frigida cursum narrationis quam velocissimum impediunt. Habent praeterea quod improbetur, 'quem' vitiose pro 'at eum' positum. Et quoniam humilem libertum semel appellatum a deo par erat e vestigio se proripere, nullam causam video cur patrocinemur editoribus qui per vim scriptori ea intulisse arguuntur a libris manuscriptis: horum enim quemquam cum illis consentire adhuc nescitur. — c. 13 'ubi iacebat Cerberus vel, ut ait Horatius, belua centiceps, *sese movens villosaque horrendos excutiens.*' Nonne fortiter 'se movens', immo 'sese movens' Cerberus dicitur? quamquam potuit paulo etiam fortius 'se commovens'. At idem 'villos horrendos excutiens' perquam eleganter, cum praesertim ilico sequatur 'ut illum vidit canem nigrum villosum'. O pulchre cordatum hominem qui ut illis ne careat quae S, V, Guelferbytanus, codex Rhenani, Parisini omnes ignorant, traditum ab omnibus libris 'villosum' velle se profiteatur abicere. — c. 13 'Convolut primi omnium liberti Myron, *Ampyronas*, Ampaeus, Pheronas, *Posides hasta pura insignis*, *Felix cum Pallante fratre*, Harpocras, Polybius, quos omnes Claudius *quaestoriis prae-*

toriisque muneribus ubi imperlitus esset, praemiserat'. Ampyromas depravatus est ex 'Arpocras', Posides, quem decorare unum omnium epitheto interpolatori libuit, petitus ex Suetonii Cl. 28 'Posiden spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit', Felix cum Pallante fratre e Taciti ann. XII, 54 'frater eius [Pallantis] cognomento Felix', quorum Pallas a. 815 demum a Nerone interfectus est. Nec reliqua minus falsa sunt, quoniam non omnes sed Narcissum et Pallantem quaestoriis praetoriisque ornamentis Claudius honorari passus est (Suet. Cl. 28), neque muneribus eos sed ornamentis donavit, neque 'quos ubi muneribus imperlitus esset' nisi barbarus loquitur. Nata autem haec posteriora sunt e mendosa scriptura 'ne ubi imperatus esset'. I nunc et dic Senecae esse istius modi nugae! — c. 14 'edit subscriptionem: occisos senatores XXX, equites R. CC, ceteros CCXXI. ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε. Exterritus Claudius oculos undecumque circumfert, restigat aliquem patronum qui se defenderet. Advocatum non invenit'. Praecisam et strictam accusationis iudiciiue expositionem haec verba quamvis non insipienter addita cum remorentur, non congruunt cum instituto scriptoris, ut qui non verbosus hoc capite nova statim novis suggesserit. Accedit quod et 'undecumque' abhorret ab hac sententia et inscite deinceps iunguntur patronus, 'qui se defenderet', advocatus. E contrario si deleveris illa, quorum nullum e codicibus testimonium prolatum est, apte et eleganter oratio procedet. Narrationi enim plane nihil deest, grammaticae vero severitati uti satis fiat atque reus, non accusator intellegatur, supplendum 'ille' videtur quod post Graeca vocabula potest intercidisse.

Vnus iam locus super est, cuius meam emendationem quo facilius possem probare, plenioris illius disputationis taedium laboremque suscepi. Quamquam ne ipsa quidem per se nulli usui erit, si quidem posteri editores ut horum additamentorum quantulamcumque rationem habere desinant perfecero. Nam ut summam rei dicam, destituta sunt codi-

cum auctoritate, sententias habent non novitate vel subtilitate vel venustate insignes sed inanes et frigidas et inficetas, denique notas fraudis ostendunt rerum ineptias et insolentiam verborum. Itaque iam meo mihi iure videtur uti, si in emendandis his c. 14 verbis 'De genere poenae diu disputatum est, quid illum pati oporteret. Erant qui dicerent, si uni di laturam fecissent, Tantalum siti periturum, nisi illi succurreretur: *non umquam Sisyphum onere relevari*, aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam. Non placuit ulli ex veteribus missionem dari, ne vel Claudius umquam simile speraret' hoc primum posuero, interpolata esse 'non umquam — relevari'. Ut enim 'non umquam' silentio praetercam, ne in uno quidem eorum librorum quorum testimonia accuratius perscripta sunt, inter 'succurreretur' et 'aliquando' quidquam legitur. Corrupta autem haec 'si uni di laturam fecissent' multifariam viri docti corrigere studuere: Rhenanus 'semidei larvam faceretur' coniecit, Fromondus 'si minus immortalem dii naturam fecissent', Gronovius 'si uni dii gratiam fecissent', Guascus 'si uni dii laturam fecissent' post 'ne vel Claudius' transferri voluit. Quibus multo praefendum hoc est quod Orellius proposuit 'Tityum iam diu vultures pavisse', quippe quo sana et apta sententia evadat. Verum cum consentaneum non sit Tityi fabulam in vulgus minus notam ante Tantalum Ixionemque Senecam posuisse, tum audaciam illa coniectura Orellius Marklandi videtur aemulatus esse Horatianum 'perfidus hic caupo' mutantis in 'causidicus vafer hic'. Et tamen Orellii magis iudicio calculum meum adicerem quam Haasii qui secundum Iunium et Curionem haec vulgavit 'si unius diei dilaturam fecissent'. Nam primum non accommodatam menti et cogitationi apud inferos iudicium ipsam sententiam arbitrator, si unus adhuc dies praeteriret, periturum siti Tantalum; tum nec 'dilatura' Latinum est vocabulum et unius diei dilaturam facere nimis artificiose dicuntur qui unum diem patiuntur praeterlabi; deinde non 'si fecissent' sed 'si facerent' vel 'si facturi essent unius diei dilaturam, Tantalum

periturum' expectamus; denique post 'si unus dies praeteriret, Tantalum siti periturum' claudicat illud 'nisi illi succurreretur' atque parum vel eleganter vel concinne 'si' et 'nisi' in eadem enuntiatione colligantur. Seneca quid scripserit, ut interpolatoris esse 'non unquam Sisyphum onere relevari' certior factus sum, vidi quasi per caliginem. Quandoquidem enim amplius duas de genere poenae sententias scriptorem rettulisse 'erant qui dicerent' et Tantalus ἀστυδέτως cum Ixione compositus et 'non placuit ulli ex veteribus missionem dari' veri simile reddiderunt, tertio exemplo e c. 15 'Inrita Sisyphio volvuntur pondera collo' et epistularum moralium III 3, 18 'nec Ixionem rota volvi nec saxum humeris Sisyphi trudi in adversum nec ullius viscera et renasci posse cotidie et carpi' repetito 'sium', quod est in Sangallensi, vel 'si uni', quod est in Valentianensi, interpretatus 'sisifum' sum, id est Sisyphum (cf. 'sisifilo' pro 'Sisyphio' in V c. 15). Quo restituto nomine reliqui nodi non difficiles erant expediti: nam 'fecissent' si mulaveris in 'fecisse', enuntiatum habebis ad Sisyphi memoriam aptissimum. Comparatur nimirum ingens saxum in verticem montis humeris deferens Sisyphus cum baiulo onera sustinente cervicibus, quo qui fungitur ministerio, vulgo facere is laturam dicebatur. Nam etsi latorem appellasse non videntur qui gestat aliquid, postquam Senecae de tranq. animi 5 'debet enim semper plus esse virium in latore quam in onere' e codicibus 'actore' correctum est, latura tamen actio gestatoris significabatur. Velut Augustinus in sermone 345, 3 'quaeris' inquit 'qui portet, qui migret. Christus tibi in utroque adest. Non faciet imposturam, faciet insuper et laturam', et ad Iuvenalis IX 144, ubi duo fortes Moesos poeta commemorat qui se cervice locatum iubeant insistere circo, hoc adscriptum est ὑπόμνημα 'lecticarios ait, quorum laturas locem et securus circenses spectem', quo modo Salmasius emendavit exercitationum Plinianarum p. 239 b, reliqua autem sic corrigo 'aliut: ipsi ferant, non lectica'. Praeterea in vetustis glossariis latura definitur φέρειν

ἐργάτου vel *ἐργάτου φορά*, unde orta altera vis vocabuli est: *latura*, *φόρετρον* (cf. DuCangius ed. Paris. 1845 t. IV p. 41). Saepius vero quam *latura*, reperitur *laturarius* derivatus a *latura*, ut a *flatura* *flaturarius*: ita igitur appellatur qui *laturam* facit. Augustinus serm. 18, 4 ‘*minimos meos egentis quando vobis in terra posui, laturarios vobis institui, qui opera vestra in thesaurum meum portarent*’ et 60, 8 ‘*quid sunt pauperes quibus damus, nisi laturarii nostri per quos in coelum de terra migramus? Da: laturario tuo das, ad caelum portat quod das*’. cf. 38, 9. Atque Firmicus ‘*laturarios*’ dicit ‘*humeris ac dorso vitae subsidia quaerentes*’ et *corbulonem* Papias explicat simul *gestatorem manualemente laturariumque*, ut e *manuscripto* libro emendatum est in *glossario* DuCangii. Sed forsitan temeritatem meam aut imprudentiam quispiam obiurgaverit quod tam ignobile verbum tamque tenui firmitate auctoritate non dubitem Senecae vindicare. Hunc equidem considerare velim ac perpendere *saturae* huius naturam et proprietates, quae licet vere iudicetur tantundem differre a *Petroniana* quanta est inter ipsas similitudo, hoc tamen cum ea commune habet ut crebro descendens a pura et urbana oratione sermonem verbaque imitetur quotidiana. Hunc meminisse velim tot dictiones, quae sunt in *Ludo*, Senecam a plebis consuetudine mutuari: nusquam alias legitur ‘*ne tibi alogias excutiam*’ quo vocabulo rursus postea Augustinus utitur, nusquam ‘*vos mera mapalia fecistis*’, nusquam ‘*Ixonis rotam sufflaminandam*’ vel similis locutio, nusquam proverbialia illa ‘*mures ferrum rodunt*’ et ‘*mures molas lingunt*’. Dolendum sane est quod cum sermonem quem in *triviis* et *compitiis* vulgus usurpabat paene totum ignoramus, sed propter id ipsum cave perpaucas eius reliquias praeproperatione eas perditum. Quod cum aliis tum *Haasio*, viro prudenti, nuper video accidisse, cum voluminis III praef. p. XXV cap. 9 sic vellet scribi ‘*Olim magna res erat deum fieri: iam fana mimum fecistis*’, oblitus *Ciceronis* ad *Atticum* *epist.* I 16, 13 ‘*heus tu! videsne consulatum illum nostrum,*

quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, si hic factus erit, fabam mimum futurum?', quo 'fabam mimum' sive 'famam mimum' proverbium esse demonstratur in ore vulgi versatum. Hoc autem quale fuerit, explicandum ego peritioribus relinquo, rediturus ad Sisyphum. Nam sentiet unus quisque non plenum illud esse enuntiatum 'Sisyphum diu laturam fecisse', sed intercidis se si non plura, tamen unum aliquod vocabulum quo laboris Sisyphæi augeatur diuturnitas. Itaque placet addita 'iam' vel 'tam' vel 'nimis' vel 'satis' particula hanc Senecæ sententiam vindicari dignam faciliis eius atque elegantia 'Erant qui dicerent: Sisyphum [satis] diu laturam fecisse; Tantalum siti periturum, nisi illi succurreretur; aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam'.

2.

A Ludo Senecæ antequam discedam, rem attingam minutam illam quidem verum quæ ad institutum totius libelli ac rationem perspicendam non parum valeat. Vbi enim dei ab Iove dicere singuli iubentur, deumne Claudium annon velint fieri, tam accurate Romani senatus imaginem scriptor imitatur, ut eisdem non verbis tantummodo sed verborum etiam formis deos uti in caelo faciat quas ad sententias ferundas senatores adhibebant in curia. Quam ob causam et Diespitem c. 9 par est pronuntiare 'censeo uti divus Claudius ex hac die deus sit, ita uti ante eum quis optimo iure factus sit', quam Sangallensis libri scripturam probatam ab Orellio Fickertus Haasiusque immerito repudiarunt, et ex tabella Augustus c. 11 ita recitat 'placet mihi in eum severe animadverti nec illi rerum iudicandarum vocationem dari', pro senatoria sua gravitate servans antiquum et sollemnem usum dicendi. Cuius testes sunt Servilia lex repetundarum in qua bis 'militiæque eis *vocatio* esto' scribitur et tabula Heracleensis bis '*vocatio* rei militaris' exhibens et Henzenianus titulus 6132 a patre et filio positus 'propter magisterium pagi et *vocationem* in perpetuum'. Notum autem iam est, postquam

in ephemeridibus antiquariis a. 1848 p. 1127 Bergkius demonstravit, vocivas auris et vacivom virium, vacuum et vocuam, vacationem et vocationem, vacare et vocare veteres promiscue appellasse. Bergkianis exemplis Fleckeisenus in Iahnii annalibus LX p. 255 Bambergensis libri de Ciceronis apud Nonium p. 436 fragmento testimonium addidit, in quo est '*vocationem*'. Possunt alia e Terentio, Cicerone, Livio proferri; potest Lucretiani versus I 520 haec e quadrato, schedis, oblongo memoria repeti 'tum porro si nil esset quod inane *vocaret*'; potest vocari ad disquisitionem Manilii illud 'hoc sub pace *vocat*', quod mihi Iacobus non persuasit ut 'invitat' interpretarer, quandoquidem pacis mentio Manilium licet alibi nusquam, tamen hoc loco evincit posuisse vacandi vocabulum, sive '*vacat*' scribis cum Gemblacensi et 'novitiis aliquot' sive consensum secutus reliquorum librorum '*vocat*'. At vero ut hoc versu utram Manilius notionem expresserit subtilioris videtur iudicii esse, ita imperiti librarii verendum est ne non semel sed centies commutaverint vacationem cum vocatione et similia, quod editores quoque commisisse Venetae editionis in Nepolis Att. 7 scriptura ostendit, 'usus est aetatis vocatione'. Ideo non facile decerni posse apparet, scriptor ex duabus his formis utram utri uno quoque loco praetulerit, atque caveri oportere ne consilio illius factum putemus esse quod erratum est librarii. Equidem sane dissuaserim, si quis e Mediceo Macrobianae saturae Ennianaes versum sic effingat '*constitere amnes perennes, arbores vento vocant*', vel in Philippica oratione Ciceronis VII 3, 10 secundum Tegernseensem et Bernensem '*vocationes, pecunias, agros spondistis*' scribat, vel in fragmento illo quod Nonius servavit Bambergensis auctoritatem pluris faciat quam Guelferbytani quem '*vacationem*' habere vidi ceterorumque librorum. Idem tamen quamlibet sponsonem fecerim ni apud Senecam Augustus dixerit *vocationem*, quippe quae forma et communi omnium librorum testimonio probetur et rei ac personae a Seneca descriptae maxime sit consentanea.

Haec autem disputatio memoriam mihi adfert illius epigrammatis, quod post Garruccium cum Pompeianorum inscriptiones murorum enarrare coepissem, Musei Rhenani XII p. 253 commemoravi. Vbi qui versus sunt:

Quisquis amat, valeat: pereat, qui parcit amare:

Restantem pereat quisquis amare vocat -- ,
eorum alterum ingeniose Otto Ribbeckius in bellam hanc sententiam emendavit:

Bis tantum pereat, quisquis amore vacat.

Qui quin priorem huius versus partem omnino vere correxerit, nec mihi est dubium neque cuiquam erit qui et sententiam et litteras, ut apud Garruccium sunt designatae, consideraverit: dummodo BISTANTU scribi in papyro reputet omissa *m*, velut 'que custodit ortu Venus' in muro aliaque sexcenta leguntur. Sed in posteriore parte Ribbeckius quod proposuit 'amore', id mihi non probavit, quia et maior vis est ἀντιθέσεως, si 'parcit' et 'vacat' ita opponuntur ut idem amandi verbum utrique addatur, et in charta perspicue exaratum 'amare' est. Cum infinito autem potuisse 'vacare' a poeta construi Stadius declarat Thebaidis VIII, 186 haec de Amphiarao praedicans 'et cum te tellus fatalisque hora vocaret, tu Tyriās acies adversaque signa *vacasti sternere*, tunc etiam media de morte timendum hostibus infestaque abeuntem vidimus hasta'. Eius denique vocabuli, quod claudit pentametrum, secunda littera quamquam plane et plene non conspicitur, tamen O litterae similior quam A est, ut 'vocat' forma usus illud carmen poeta hoc modo protulisse videatur:

Quisquis amat, valeat: pereat, qui parcit amare:

Bis tantum pereat, quisquis amare vocat.

Quoniam semel eo delapsus sum ut editam superiore anno de Pompeianis titulis muralibus commentationem complerem, duas addam inscriptiones metricas in isdem muris servatas. Quarum alteram senario numero compositam:

Communem nummum dividendum censio est:

nam noster nummus magna(m) habet pecuniam

tum praetermiseram errore irrelitus Garruccii, qui 'namanoster' cum insculptum sit, Namam et Magnam somniavit communem cum tertia muliere nummum divisuras: verum autem viderunt Ritschelius et qui benevole schedarum suarum partem mihi commodari passus est, Mommsenus. Alteram, e qua effusa cupiditas ioca pariter atque seria illinendi parietibus praecipue discitur, secundum exemplum a Mommseno descriptum in actis academiae Saxon. 1857 p. 195 Iahnus explicavit. Vbi enim repulsus a puella amator has querellas effudit 'Si potis et non vis, cur gaudia differs? . . . quid redire iubes? . . . [prius] mori quam sine te vivere coges', alius subscripsit *κατ' ἐλθωνεῖται* 'munus erit certe non trucidasse', alius durum casum consolaturus plenum hexametrum:

Quod spes eripuit, spes certe reddit amanti,
 alius detestans istiusmodi nugas 'qui hoc legit, nuncquam postea aliud legat', alius statim post hunc morosam abominatus severitatem 'nunquam sit salvus qui supra scripsit', quam ad sententiam accessit alius 'verum dicis'.

3.

Vulgaris sermonis plures etiam dictiones e veteribus scriptoribus rursus posse quasi ad vitam suscitari novo comprobabo exemplo. E Varroniana enim satira a Nonio haec descripta sunt p. 231 'Varro in Tafe Minippu: Diogenem litteras scisse, *dum usioni* quod satis esset, *tunc* quod etiam acrosi bellorum hominum'. Quorum verborum si perscripsero quam Gerlachius 'emendationem' proposuit, verebor ne docto viro videar illusisse: sed enim coniecit mediusfidius 'usioni quod satis esset'. Verum ne Mercerus quidem atque Oehlerus '*tum* usioni quod satis esset, *tum* quod etiam acrosi bellorum hominum' scribeantes mentem sunt Varronis assecuti. A quo cum simplicitate Diogenis Menippeam elegantiam certum est ita esse comparatam 'Diogenem litteras scisse, *domusioni* quod satis esset, hunc quod etiam acrosi bellorum hominum'. *Domusionem* autem eadem qua *domuitio* vel

domitio ratione effictam item rusticus conviva inter cenam Trimalchionis (c. 46) dixit 'volo illum ad *domusionem* aliquid de iure gustare'.

4.

Cicero ad Atticum postquam de calamitosa rei publicae fortuna conquestus est VII 7, 7 sic fertur scripsisse: 'Ἐμπολιτεύομαι σοι iam dudum, et facerem diutius nisi me lucerna desereret. Quae verba sane recte 'in re publica versor tibi' Corradus interpretabatur. Verum plane aliam Cicero in mente habuit hanc sententiam 'de re publica tecum confabulor', neque dubium est quin scripserit *Ἐμπολιτεύομαι σοι iam dudum*, quemadmodum IV 16, 10 *υοβίς συμφιλοσοφῆσαι possum*, pro quo Mediceus liber *ἐμφιλοσοφῆσαι* tradit. Vereor autem ne editores illud *ἐμπολιτεύομαι* usque adhuc propagaverint non tam quod veram sententiam ignorabant, sed quia non satis animum ad *ἐν* praepositionis vim ac naturam advertabant. Nam mira negligentia plerumque Graeca apud Latinos scriptores vocabula et solebant et solent praeterire. An consilio Orellius ad Att. VI 9, 2 *τοῦ φουρατοῦ* et VII 1, 9 *φουράτης* efferri voluit per accentus varietatem, vel idem ad Att. VIII 5, 1 et Fickertus Senecae apocolocyntosis c. 11 *ῥίψαι* et *ῥίψεν* expresserunt? cuius verbi natura produci syllabam priorem ne Baumeisterus quidem cum ederet *Batrachomyomachiam* meminerat. Quid quod nuper vir in Gracis litteris cum laude versatus quendam rhetorem fecit exclamantem: *ποῦ φεύξιοθε; ὄπλα τὰ τείχη*: nove videlicet posito articulo, si quidem significare rhetor voluit *τείχη τὰ ὄπλα*, dixit autem si fides codicis scripturae est *ὄπλα τείχη*. At ut redeam ad Ciceronem, non minore inscitia, quam *ἐμπολιτεύομαι σοι* isto loco, in eiusdem libri epist. 11, 2 omnes ediderunt *libenter enim in his molestiis ἐνσχολάζω σοι*, postea quam Victorius adnotavit 'ἐνσχολάζω σοι, id est explico tibi scholam, ut antea in his epistolis dixit, *ἐμπολιτεύομαι σοι*'. Placet 'in his molestiis ἐσχολάζω', pronomem improbo per-

peram adiunctum: nec COI Mediceus habet sed COCON, quod quid sit alii videant.

Commorari lubet paulisper in undecima hac epistula, quippe cuius nemo dum tertiam particulam cum ratione expediverit. Vbi enim ex Pomponio Tullius quaesivit, Pompei consilium quod urbem reliquisset quale illi videretur, suas de eo in utramque partem ἀπορίας exponit, quae ut recte intelligentur, longe aliter distinguendae sunt atque ab Orellio vel Klotzio factum est. Ac primum quidem in eam partem verba facturus ut vituperet ab urbe discessum (*Tum nihil absurdius id est 'modo nihil invenio absurdius'*) colloqui se fingit cum Pompeio. Cicero: *Urbem tu relinquis? Ergo idem, si Galli venirent.* Pompeius: *Non est in parietibus res publica.* Cicero: *At in aris et focis.* Pompeius: *Fecit Themistocles; fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat.* Cicero: *At idem Pericles non fecit annum fere post quinquagesimum cum praeter moenia nihil teneret, et nostri olim urbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt: οὕτω που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν.* Iam vero ad alteram partem ita transit ut rursus particulam opponat ei quam ante posuerat tum: *Rursus autem ex dolore municipali sermonibusque eorum quos convenio videtur hoc consilium exitum habiturum — alia causa facta est, nihil iam concedendum putant Caesari.* Duas autem in superioribus facere mutationes visum est: nam et idem ante *Themistocles* cum Mediceo omisi et post *teneret* addidi coniunctionem copulativam qua non aequabilitatem modo sed etiam fortitudinem argumentationis augeri sensi.

ad Att. VII 14, 1 *L. Caesar mandata Caesaris detulit ad Pompeium — Probata conditio est, sed ita ut ille de iis oppidis, quae extra suam provinciam occupavisset, praesidia deduceret. Id si fecisset, responsum est ad urbem nos redituros esse et rem per senatum confecturos. Spero + esse in praesentia pacem nos habere, nam et illum furoris et hunc nostrum copiarum suppoenitet. Esse qui defenderet explicando, nullum novi praeter Bosium adnotantem 'sensus est,*

spero esse in praesentia quod pacem habeamus': at vafrum hominem hoc loco puto delirasse. Neque profecerunt quidquam qui aut *etiam* aut *ipse* aut *etsi* . . . aut *certe* restitui voluerunt. Quibus multo prudentius deleri illud vocabulum Schuetzius iussit, quoniam librarii errore praecedentem versus respicientis facile poterat repeti. Sic ad Att. VIII 11, 3 in Mediceo legitur *Atque hoc nostrâ gravior est causa qui domi sumus, quam illorum qui una transierunt, quod illi qui alterum metuant, nos utrumque*, in editionibus perquam ineleganter *illi quidem alterum metuant*, legendum est *illi alterum metuant*. Sic extrema eadem epistula: *Memini librum tibi afferi a Demetrio Magnete ad te missum scio* $\pi \epsilon \rho \iota \delta \mu \omicron \nu \omicron \lambda \alpha \varsigma$ recte Manutius scio induxit quod ex superiore enuntiato *Scio equidem te in publicum non prodire* huc esse intrusum videtur; nempe pravo Orellius acumine latere in eo partem indicis Graeci, velut nomen proprium $\epsilon \pi \iota \delta \epsilon \iota \xi \epsilon \omega \varsigma$ opinabatur. Sic de re publica V 2, 3: *agri arvi et arbusti et pascui lati atque uberes definiiebantur, qui essent regii qui colerenturque sine regum opera et labore* male correctum est *qui essent regii quique colerentur*, ratio postulat ut emendetur *qui essent regii colerenturque*, quod quo magis eluceat, singulis palimpsesti libri versibus vos velim recordari novem undecimve comprehendi litteras. At tamen Schuetziana de istis verbis sententia quo minus ab omni parte satis mihi faciat, alia res impedit. Neque enim cum prona ad metum semperque ipsa se sollicitante Ciceronis anxietate haec congruit quantulacunque est confidentia quam testatur illud *spero pacem nos habere*. Aptioremque moribus scriptoris ac suspensio tum maxime animo incerta belli expectatione hanc fore coniecturam arbitror: *Spero posse in praesentia pacem nos habere*. Nimirum e vi interiecti *posse* verbi aliqua elicitur haesitatio similis illi circumspectioni qua Pompeius ad Domitium scribit 'contractis nostris copiis spero nos et rei publicae et communi saluti prodesse posse' vel ad Ciceronem Balbus 'incipiam sperare etiam consilio senatus — Pompeium

et Caesarem coniungi posse'. — Haec cum scribo, corrupti reminiscor illius loci quo primi de re publica libri finitur prooemium 8, 13: *Quibus de rebus (id est de re publica) quoniam nobis contigit ut idem et in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum consecuti et in explicandis rationibus rerum civilium quandam facultatem non modo usu, sed etiam studio discendi et docendi essemus auctores, cum superiores alii fuissent in disputationibus perpolitati quorum res gestae nullae invenirentur, alii in gerendo probabiles, in disserendo rudes. Nec vero nostra quaedam est instituenda nova et a nobis inventa ratio, sed unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria est.* Quae verba quamvis viri docti varie tentaverint, nullus tamen non modo probabiliter sed ne credibiliter quidem de eis disputavit. Atque exceptis eis qui inepte omnia illa complexi una enuntiatione *nec vero eqs. ἀπόδοσιν* esse ἀνακόλουθον statuerunt, plerique alii in eo potissimum mihi videntur errasse ut ampliora intercidisse sibi persuaderent: id quod a veri similitudine apparebit abhorrere, si conexas a Cicerone sententias per partes breviter enarraverimus. 'Superiores' inquit 'aut in rebus et usu aut in studio et disputatione minus versati erant (cf. de legibus III 6, 14). Nobis autem contigit ut et gereremus rem publicam et disserendi quandam facultatem compararemus. Vsu igitur simulque studio nos sumus idonei praecipiendo de re publica ac scribendo. Nec vero ratio nova, quae nostra sit propria, instituenda est sed repetenda Africani eique aequalium disputatio'. Itaque videatis numquid non dico verum sed simile veri invenerim, cum facili negotio essemus sic corrigerem: *Quibus de rebus, quoniam nobis contigit ut idem et in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum consecuti et in explicandis rationibus rerum civilium quandam facultatem, non modo usu sed etiam studio discendi et docendi esse [possu]mus auctores, cum superiores alii fuissent eqs. Coniungenda enim inter se sunt Quibus de rebus et esse*

[*possu*]mus auctores, id est doctores vel praeceptores; *fuis-*
sent autem, non *fuertint* Cicero propterea scripsit, quod ulti-
 mum hoc enuntiatum ratione et cogitatione ante primum illud
quoniam nobis contigit anticipandum est.

Disceptans Cicero ad Att. VII 22, 2 agro Piceno occu-
 pato a Caesare quid agat, num sequatur Pompeium an Caesari
 se tradat, cum neutrum dixerit fieri posse, sic pergit: *Quid?*
a te petam consilium, ut soleo? Explicari res non potest,
sed tamen si quid in mentem venit velim scribas, ut e De-
 curtato suo et Tornaesiano Bosius edidit. At ridicule pro-
 fecto in gravi hac consilii capiendi deliberatione Atticum
 Cicero interrogat num petat ab illo etiam nunc ut soleat con-
 silium, cum praesertim serio eum petere ea quae secuntur
 ostendat. Nec vero sublata post *soleo* interrogativa nota ferri
Quid? potest nude positum, pro quo *Quid igitur?* expec-
 tetis. Quoniam autem in Mediceo scriptum *quidem* est,
 restituendum esse censeo *Equidem a te petam consilium, ut*
soleo eodem modo quo VII 14, 3 Medicei pr. m. scriptura
Quidem pacem hortari non desino in *Equidem* correctata est.

ad Att. VIII 3, 4 . . . cepi Capuam, non quo munus
 illud defugerem; sed sic, ne causam; in qua nullus esset
 ordinum, nullus apertus privatorum dolor; bonorum autem
 esset aliquis, sed hebes, ut solet; et, ut ipse sensi, esset
 multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem,
 multi mutationis rerum cupidi. 5. Dixi ipsi me nihil susceptu-
 rum sine praesidio et sine pecunia. Mutilata ab initio sen-
 tentia secundum epist. huius libri 11 D 5 'a me Capuam
 reiciebam' et 12, 2 'Capuam — accipere nolui' explenda est.
sic ne causam quod fallaci Bosii ingenio debetur iure Kochius
 mus. Rh. n. XII. p. 274 miratur editorum nullum de sede
 sua exturbasse: at enim isti credere quam cogitare malue-
 runt. Ipsius autem coniectura Kochii *sed suspicionem cave-*
bam nimis audacter praeter necessitatem facta est. Nam recte
 iam pridem ex eo quod in Mediceo legitur *sine causa*, Lambinus
 in ea causa effecerat, quod Orellius immerito sprexit, quem-

admodum VIII 11, 4 egregia I. F. Gronovii emendatione *denuntiata esse dicitur* neglecta latere in *igitur* fortasse temporis notationem veluti *Id. Febr.* hallucinatur: sane convenienter eis ineptiis quas antecedente versu Ciceroni et ipse et Klotzius tribuebat *nec tam emptio pertimescenda*. Hoc autem loco probabile est laceratum primarium librum fuisse, ut supplendum sit *nec tam [singulis est proscr]iptio pertimescenda — quam universa[e rei p.] interitus*. Illuc redeo. Lambini enim adscita coniectura duo, quae supra scripsi, enuntiata in hoc unum oportet consociari: — *non quo munus illud defugerem; sed in ea causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor — bonorum autem esset aliquis sed hebes ut solet — et ut ipse sensissem, multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi, dixi ipsi me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia*. Quo facto et esset coniunctivo modo cur Cicero posuerit plane intellegitur et quam non necesse sit quod vulgabatur *sensissem* in *sensi* vel *sensi* esset cum Lambino Orelliove mutari, quandoquidem tota haec sententia tamquam summa sermonis cum Pompeio habiti, cum Capuam Cicero a se reiecit, ad subsequens dicendi verbum refertur. Non minus perversa video ratione in epistula ad Tironem XVI 11, 2 hanc periodum interpungi: *Antonius quidem noster et Q. Cassius nulla vi expulsi ad Caesarem cum Curione profecti sunt. 3. Postea quam senatus consulibus, praetoribus, tribunis pl. et nobis qui pro coss. sumus, negotium dederat, ut curaremus ne quid res publica detrimenti caperet, nunquam maiore in periculo civitas fuit; nunquam improbi cives habuerunt paratorem ducem*. Quasi tum demum in periculo versari res publica et paratum improbi ducem habere coepissent cum ad extremum illud atque ultimum senatus consultum decensum est. Nunquis dubitabit quin distinguenda ea verba in hunc modum sint: *Antonius quidem noster et Q. Cassius nulla vi expulsi ad Caesarem cum Curione profecti sunt, posteaquam senatus consulibus — negotium dederat, ut cura-*

remus ne quid res publica detrimenti caperet. Nunquam maiore in periculo civitas fuit — ? Nam posteaquam illud senatusconsultum perscriptum est a. d. VII. Id. Ian., profugisse statim ex urbe tribunos pl. cum alii tum Caesar b. c. 15 memoriae prodidit. Subscribam nondum omnino, ut puto, emendata haec verba ad Att. VII 7, 3: *Ego, quoniam IIII. Nonas Ianuarias compitalicius dies est, nolo eo die in Albanum venire, ne molestus sim familiae. Veniam III. Nonas igitur; inde ad urbem pridie Nonas.* Proxime ad verum Lambinus accessit, qui cum *sim* absit a Mediceo, *ne molestus familiae veniam* coniunxit. Sed vereor equidem ne vel urbanitas sermonis quam ne in epistulis quidem Cicero umquam dereliquit vel qua hic utitur brevitatis non patiat iteratum illud in eodem enuntiato veniendi vocabulum. Qua de causa coniecturam hanc propono: *nolo eo die in Albanum, ne molestus familiae veniam*, quam eo adiuvari existimo quod in Mediceo *ne* omittitur. Etenim hanc particulam adscriptum ad ἔλλειψιν explanandam a librario *venire* verbum videtur expulisse.

Finem iam parvulo huic συντάγματι ita faciam ut a Bosio inductum posteriorumque editorum socordia continuatum et quasi corroboratum errorem redarguam. Negat in litteris ad C. Marcellum Lentulumque consules datis VIII 12 A 2 Pompeius posse se subsidio ire Corfinium Domitio, *quod his duabus legionibus non puto esse committendum ut illuc ducantur; ex quibus tamen non amplius XIV cohortes contrahere potui; quas Brundisium praesidium nisi: neque Canusium sine praesidio, dum abessem, putavi esse dimittendum.* Agitur de duabus illis legionibus quae Parthici belli simulatione abductae a Caesare et invidiose retentae castra circum Lucriam habebant; cognominatas autem esse Appianas, non Altianas (VII 15, 3 et 20, 1) discere Orellius Klotziusque non multo labore a Graevio potuerunt. E quibus legionibus non amplius XIV cohortes se coegisse et repetit in hac ad consules epistula part. 3 et Domitio 12 C 2 scribit. Deinceps vero quae

insecuntur *quas Brundisium praesidium nisi* commendata a Bosio 'priscos suos' secuto, eis vitium quod in his verbis inest tam male dissimulatur quam parietis fissura calcaria trullissatione. Nam primum fac illas cohortes iam tum missas Brundisium tantamque Magni fuisse ἀσφαλιστηριας ut omnes quas secum habebat copias a se dimitteret: num sana esse imperator mente crederetur, si in Samnium irruente adversario quotcunque Luceriae praesto sibi essent milites Brundisium misisse se dixisset *praesidium*? Accedit quod etiam tum cohortes illae erant ad Luceriam et tantum abest ut postea Pompeius praemiserit eas Brundisium ut expeditus ipse antecesserit (VIII 9, 4). Neque hoc ipso tempore ex duabus illis legionibus profectae ad Brundisium erant nisi duae cohortes ductae a socero Pompei Scipione (VIII 3, 7). Denique frustra rationem et necessitatem quaesiveritis qua ultima verba *neque dimittendum* colligentur cum superioribus. Iam vero haec qualis fuerit intellegetis epistula Pompei ad Domitium 12 C 2 collata 'neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit, ne receptum amittam. Itaque non amplius XIV cohortes Luceriam coegi'. Vnde et recte post *contrahere potui* legi in Mediceo *quod* particulam et ex hac particula *neque - dimittendum* pendere concluditur, ut hanc Pompeius sententiam expresserit 'e XX cohortibus non amplius XIV potui contrahere quoniam reliquas VI partim iam praemisi Brundisium partim manere Canusii volui'. Itaque veram iudicabitis Medicei libri scripturam, modo lacunam videritis significari: *ex quibus tamen non amplius XIV cohortes contrahere potui, quod Brundisium nisi neque Canusium sine praesidio dum abessem dimittendum putavi*, ubi quae interciderunt tertia huius libri epistula vobis suppediabit part. 7 'Brundisium Scipionem cum duabus cohortibus praemiserat'. Simulque digitis si lubet licet computare, Canusii Pompeium collocatas cohortes habuisse quattuor.

5.

In tertio Ciceronis de re publica libro 5, 9 verba quae

Nonius p. 263 servavit Mai adsumpto supplemento sic solent scribi: *Neque ego hercle ex mea animi sententia loquar, sed] ut Carneadi respondeatis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet.* Philus enim suscepto improbitalis contra iustitiam patrocinio antequam referre coepit quae celebri olim hac de re disputatione Carneades disseruerat, 'purgat se praecipue, ne haec ipse sentire crederetur'. Cuius simplicitati sententiae repugnat audientium ut Carneadi respondeant invitatio, cum praesertim ne addatur quidem *ut tamquam Carneadi respondeatis.* Verum sublata omnis offensio erit si eam scripturam quam e Vaticanis quattuor Nonii codicibus Maius enotavit probaveritis, ut fere haec Philus praemonuerit: *Neque hanc tamquam meam orationem vos volo accipere, sed] ut Carneadis respondentis.* *Respondeatis* autem facile intellegitur esse natum e *Carneadi* forma qua genitivum casum Cicero extulerat, dativum significari librarii opinabantur. Novum autem hoc attuli argumentum, quanto opere optandum sit in magna penuria subsidiorum quibus Nonii emendator utatur, ut in publico proponantur non contemnendae memoriae librorum Vaticanorum.

Eiusdem Nonii p. 398 haec habetis: 'SAMIVM est testium. Lucilius Satyrarum lib. XIII: *et non pauperitiae Samio curtoque catino.* M. Tullius de Re publica lib. III: *et non pauper uti oratio,* et in lib. VI: *Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpua pontificum diis immortalibus grata sint Samiaequae, ut hi scribit, cappudines.* Vbi conexa fuisse *oratio Laeli* veteres dudum perspexere, quos non fugerat Tullii de nat. d. III 17 testimonium 'docebo meliora me didicisse de colendis diis immortalibus iure pontificio et more maiorum, capedunculis is quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum' (cf. Meyeri orat. Rom. fragm. p. 171). Itaque *extat oratio Laelii* Iunius coniecit editoresque librorum de re publica Ciceronis VI 2 scripserunt *Oratio exstat Laelii.* Et Osannus quidem agi in Nonianis illis sibi persuasi

‘de duobus Ciceronis locis diversis, in vulgata scriptura confusis; prioris verba integra non esse neque integriorem alterum locum posse haberi’. Eiusque nescio an secutus iudicium Klotzius sic verba Ciceronis diremit *Oratio exstat Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpuvia pontificum dis immortalibus grata sint Samiaeque, ut ibi scribit, capedines*. Vtrumque autem ego aberrasse a vero existimo quia factam scribae errore non viderunt *διοτοιζίαν et non pauperitiae et et non pauper uti*. Quam Gerlachius si cognovisset, Lucilianum verum noluisse hunc cogitare *Et non pauper ita ut Samio curtoque catino*, verum scripsisset cum Corpeto *Et non pauper uti Samio curtoque catino*. Quoniam igitur evanuit prior iste locus, quippe cuius alteram partem pertinere ad Lucilium, alteram ad insequentia verba pateat, forsitan quispiam dixerit duo quidem e Tullianis de re publica libris tertio et sexto Nonium testimonia protulisse, alterum vero in codicibus totum periisse. Quod nobis aliter videtur: ni mirum *lib. III et lib. VI* pariter ac *pauperitiae et pauper uti διττογραφούμενα* iudicantes, cui opinioni Vaticanus unus favet pro *lib. VI* exhibens *lib. III*, postquam cum iterata perperam Luciliani versus penthemimere *oratio* coaluit, inseruisse *et in* librarium arbitramur. Ideoque ad Nonii auctoritatem tantum modo haec referri volumus: ‘Lucilius Satirarum lib. XIII: *et non pauper uti Samio curtoque catino*. M. Tullius de re publica lib. VI: *oratio Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpuvia pontificum dis immortalibus grata sint*’ eqs. Nam omisisse aut *oratio* grammaticum docet aut aliud vocabulum Ciceronis quis mirabitur, qui vel unam istius compilationis paginam oculis percucurrerit?

Etenim cum Nonio qui comparari posset levitate et stupiditate, neque antiquitas neque secunda infaceliorum infaceto rure hominum nostra aetas ullum grammaticum tulit. Ecce tibi quae de meretrice et prostibulo p. 423 tradidit: ‘Inter MENETRICEM et PROSTIBVLVM hoc interest: menetrix honestioris loci est et quaestus. Nam menetrices a manendo

dictae sunt, quod copiam sui tantummodo noctu facerent, prostibula, quod ante stabulum stent quaestus diurni et nocturni causa'. Quae, malum, ista menetrix? quae est? inquires. Eadem, puto, ac meretrix: et scripsere editores *meretricem*, *meretrix*, *meretrices a merendo*. Fac ita Nonium scripsisse: equid tum minus vecors habebitur? Verum mihi tuendam esse librorum memoriam constat, quamquam et p. 345 a merendo mercennarios et meretrices dici ait et ipsam illam expositionem sic concludit: 'Plautus in Cistellaria manifestissime discrevit: *intro abonam meretricem adstare in via solam, prostibula sane est*', hoc est — *intro abibo, Nam meretricem adstare in via solam, prostibuli sane est*. — 'Talis iste meus stupor'. Quod in memoriam vellem Lachmannus reduxisset cum ad Lucretium p. 227 compositis *dius interdus nudius perdius* adverbii *prodius* Varronis differre scriberet, nam *accedit prodius esse illuc prodcedit amplius*. Legitur enim hoc vocabulum apud Nonium p. 47: 'PRODIVS dictum interiorius, longius a prodeundo quasi porro eundo. Varro Virgula divina: *primum venit in urbem atque intra muros; deinde accedit prodius atque introit domum* id est intra privatos muros'. At errasse Nonium, ut p. 530 *deinsuper* adverbium ex Sallusti historiis per errorem enotavit (cf. Kritzius Sall. hist. fragm. p. 101), mihi veri similis videtur quam Varronem analogiam deseruisse et communem sermonis usum, quo duce scribere *accedit PROPIVS* debebat, quod potest in aliquo exemplari depravatum in PRODIVS fuisse. Ex re autem quorundam hominum esse censeo ut moneam ne specie fallantur numerorum qui in verbis illis comparent neve trochaicum versum conentur in hunc modum constituere: — *primum venit Intra muros, deinde accedit propius atque intro it domum*. Quam numerorum contemplationem meam, ut hodie Varronianarum reliquiae saturarum plerumque iudicantur, *μωμῆσαι τις μᾶλλον ἢ μιμῆσαι*: sed ego dum cana Veritas adstet, Momo nusquam satis facere studebo.

6.

Demi vocabulum cum modo iusserim e lexicis Latinis, ut damnum resarciam, aliud me par est addere. Obtinere autem decrevi et lexicographorum ab impetu vindicare, ut quod optimi auctores Latinitatis usurpaverint, describendi vocabulum. Fere nullus in libris manu scriptis error frequentior reperitur quam *de* et *di* syllabarum permutatio, qua factum est ut non nulla verba, velut *destringere ense*, per *de* an per *di* efferenda essent ad hanc usque aetatem dubitaretur. Graviioresque ea re difficultates parantur quod in quibusdam iam antiquitus utraque syllaba utebantur, velut *derigere* et *dirigere viam* vel nullo vel ita subtili discrimine dicebant, ut nullum credere praestet quam definiendo et ad definitionem exemplis accommodandis tempus perdere et operam. Verum plurima, cum apud veteres Romanos prout aut *de* aut *di* scribebant longe aliam vim habuissent, ingruente demum incultae orationis barbaria confundebantur, postquam et desiverunt iudicare quid inter hanc et illam praepositionem differret, et oris rusticitate quam inscriptiones maximam fuisse testantur *e* et *i* sonos miscere coeperant. Quapropter codices nostri, qui quarti et quinti saeculorum orthographiam sequi solent, mirandum non est quod saepissime ubi *describendi* notione opus est, prae se ferunt *describere*. Enimvero multum inter se ista distant longeque sunt diversa, quoniam *describere* dicitur qui exscribit aliquid aut formam cuiusdam rei adumbrat, *discrere* autem qui totam rem in singulas partes scribit vel scribendo aliquid distribuit. Atque definitio haec et disiunctio duorum verborum cum non solum naturalem *de* et *di* praepositionum potestatem consequatur sed certissimis etiam exemplis possit stabiliri, non facturus operae pretium viderer si contrariae sententiae qui homines quas suggesserint ratiunculas perscriberem.

In inscriptionibus *discrere* verbum quinquies me legere memini: in funebri Mordiae laudatione, quae omnes filios aequae fecerat heredes partitione filiae data viroque certa

pecunia legata, apud Orellium 4860 'quom *discriptio* partium habeat gratum fidumque animum in viros, aequalitatem in liberos, iustitiam in veritate'; legis Serviliae cap. 7 'quci ex h(ac) l(ege) in eu[m] annum CDL vireis lectei erunt, ea nomina omnia in tabula in albo atramento scriptos patr]em tribu[m] cognomen tribulimque *discriptos* habeto'; in edicto Augusti de aquae ductu Venafrano (Henzen. 6428) 'quaeque aqua in oppidum Venafranorum it, fluit, ducitur, eam aquam distribuere, *discribere* vendundi causa aut ei rei vectigal inponere, constituere Hviro Hviris — ius potestatemve esse placet, dum ne ea aqua quae ita distributa, *discripta* deve qua ita decretum erit, aliter quam fistulis plumbeis d(um) t(axat) ab rivo p(edibus) L ducatur'; Thoriae legis cap. 34 'quantum ei quci eorum agrum emit, p]equoniae adsignatum *discriptum* adsignatumve in tabuleis publicis est eritv[e, tantam pequ]niam populo — in]ferre debeto'. Quibus exemplis et extitisse olim *discribere* vocabulum evidentius coarguitur quam notis Tironis in quibus p. X et XI *discribit* et *discripsit* a *describit* et *descripsit* distinguuntur, et intellectus ambitum quantum habuerit cognoscitur: nam principalem illam significationem 'scribendo dividere' patescere iam videtis atque dilatari in hanc 'discribendo adsignare', ut construi possit cum dativo.

De re publica II 22, 39 Cicero ubi Servium populum narravit distribuisse in quinque classes senioresque a iunioribus divisisse eosque ita disparasse ut suffragia in locupletium potestate essent, haec continuat 'quae *discriptio* si esset ignota vobis, explicaretur a me'. Atque hac ratione intellegitur cur I 46, 70 'nullam omnium rerum publicarum aut constitutione aut *discriptione* aut disciplina conferendam esse' cum Romana scripserit. At in seite II 8, 14 legitur: Romulus populum 'in tribus tris curiasque triginta descripserat' et 'ea Tatio sic erant *descripta* vivo' et II 9, 16: Romulus 'habuit plebem in clientelas principum *descriptam*'; consentaneum enim est *discripserat discripta discriptam* legi.

Vera est de legibus III 2, 7 meliorum codicum memo-

ria: censores 'populi partes in tribus *discrībuntō*', quam non decebat Bakium repudiare, decebat Feldhuegeli imperitiam. Is adfirmat esse 'similem corruptelam in melioribus *discrīptione* pro *discrīptione* III § 12', ubi temperationem rei publicae Marcus negat effici potuisse 'nisi tali descriptione magistratuum'. Sed cum intellegenda sit partitio imperii et iuris ac potestatis distributioque magistratuum per publica munera, et Marcus oportet dixerit *discrīptione* et non multo post Atticus 'disputes quibus de causis maxime placeat ista *discrīptio*' et paullo ante Quintus 'quam brevi, frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum *discrīptio*'. Similiterque III 2, 5 *discrīptione* magistratuum omnem rei publicae moderationem contineri Cicero iudicavit atque II 12, 30 '*discrīptio* sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit; nam sunt ad placandos deos alii constituti, — ad interpretandum alii praedicta vatū'. Nec video, legum latores qui populis iussa dici possint describere; itaque II 5, 11 'qui perniciose et iniusta populis iussa descripserint' simplex 'scripserint' commendans Bakius sequendus foret, nisi aptior multo iam correctio *discrīpserint* in promptu esset: quo accedit I 5, 17 'quae composita sunt et *discrīpta* iura et iussa populorum'. Porro III 3, 7: censores 'equitum peditumque prolem describuntō' non potest tolerari; potest aut 'perscribuntō', hoc est in tabulas referuntō omnes milites, aut *discrībuntō*, hoc est seorsum censento qui equites quique pedites militaturi sint. Denique III 19, 44 *discrīptus* populus censu, ordinibus, aetatibus opponitur fusc in tribus convocato.

Pro Sestio 30, 66 nuper recte ex Parisino Halmius edidit 'cuius negotii publici cogitari, optari, fingi curatio potuit, quae non esset attributa atque *discrīpta*?', qui nollem in marginem relegasset 65, 137 Parisini et Gemblacensis testimoniis probatam scripturam '*discrīptionem* civitatis a maioribus nostris sapientissime constitutam'. Itemque Ciceronis est quod in Verrem V 25, 62 Parisinus pr. m. tradidit 'civitatibus pro numero militum pecuniarum summas *discrībere*'.

Debant enim Manutium editores audire, non eum quidem ad Sestianae part. 66, verum ad epistolam missam Cassio XII 1, 1: ubi cum Medicus praebet 'immunitates dantur, pecuniae maximae *discribuntur*', doctus ille interpres haec adnotavit 'est autem *discribere* diversis distribuere. Sic ep. I lib. 1 ad Q. fr. (33) *Vectigal quod iis aequaliter Sulla discripserat*. In Verr. lib. 5 (25, 62) *Pro numero militum, pecuniarum summas discribere*. Et Phil. 5 (22) *Quorum bona statim suis comitibus compotoribusque discripsit*'. Atque hac ratione, non vereor ne fidem augendo superiecerim, si plus centum locos Ciceronis dixerim corrigendos esse. Legas igitur in ep. ad Tironem XVI 11, 3 'Italiae regiones *discriptae* sunt, quam quisque tueretur'; pro Quinctio 14, 45 'quis tandem nobis ista iura tam aequa *discribit*?'; in Verrem V 11, 27 'pretio, non aequalitate iura *discripserat*'; pro Cluentio 32, 87 'ut quadragena milia sedecim iudicibus darentur, non Archimedes melius potuit *discribere*'; in Rullum II 29, 79: agrum 'in iugera dena *discribat*' et 31, 85: in agro Stellati 'duodena *discribit* in singulos homines iugera'; II 16, 40 'urbs et natura ac situ et *discriptione* aedificiorum et pulchritudine inprimis nobilis' et 35, 95 'urbis salubritate, *discriptione*, pulchritudine', ubi descriptio quid valeat, non cadit in meam intelligentiam; in Catilinam I 4, 9 '*discripsisti* urbis partes ad incendia'; pro Sulla 18, 52 '*discriptio* totam per urbem caedis atque incendiorum constituta est'; pro Flacco 7, 15 'distribulis partibus tribulim et centuriatim, *discriptis* ordinibus, classibus, aetalibus'; 14, 32 'in numero navium et in *discriptione* aequabili sumptus? — *discripsit* autem pecuniam ad Pompei rationem, quae fuit accommodata L. Sullae *discriptioni*, qui cum in omnes Asiae civitates pro portione pecunias *discripsisset*, illam rationem in imperando sumptu et Pompeius et Flaccus secutus est'; de domo sua 5, 13 'decuriatos ac *discriptos* haberes exercitus perditorum'; 50, 129 'servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe *discriptio*'; de senectute 2, 5 ut secundum Memmianum

librum Guilielmus edi iussit 'cum ceterae partes aetatis bene *discriptae* sint'; 17, 59 'a quo essent illa dimensa atque *discripta*' (*διαμετρῆν καὶ διατάσσειν* Xenophon) et 'ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea *discriptio*. Densaque praeterea exemplorum seges cum in his libris quos tetigimus tum in philosophicis rhetoricisque scriptionibus super est quam futurus si dis placet messor demeat. Cui uberrimas etiam illas et creberrimas spicas relinqui volumus quae in aliorum scriptorum agris possint legi. Nam ut M. Tullium ita reliquos qui Latine loqui didicerant omnes, ubicunque dividendi, disponendi, distribuendi, dilargiendi sententia subiecta erat, non *describere* sed *discribere* dixisse contendo. Dixit igitur Q. Cicero de petitione consulatus 5, 20 'fac ut plane iis omnibus, quos devinctos tenes, *discriptum* ac dispositum suum cuique munus sit', Caesar b. c. III 42: Caesar 'vecturas frumenti finitimis civitatibus *discripsit*', Livias XXX 37 'decem millia talentum argenti, *discripta* pensionibus aequis in annos L, solverent', Suetonius Tiberii 30 'de legendo vel exauctorando milite ac legionum et auxiliorum *discriptione*', Frontinus strategematon IV praef. 'quae parum apte *discriptioni* priorum [librorum] ad speciem adligata subici videbantur'. Neque eidem Frontino de aquis 87 et 98 *discribebatur discripsitque* Venafranum maxime edictum respiciens nuper reddere dubitaveram.

Poetae quoque *discribendi* vocabulo utebantur. Nam et in eo poesis genere quod vulgarem sermonem imitari solet, Terentius Phormionis V 8, 30 scripsit 'Argentum rursum iube rescribi, Phormio. — PH. Quodne ego *discripsi* porro illis quibus debui?' quod Bembinus tuetur, Donatus explicat 'nullis per scripturam reddidi, multis dedi: ut apud Virgilium *Diditur hic subito Troiana per agmina murmur*', editores servarunt; et in didascalicis poematis Ovidius cuius me Petrus Binsfeldus admonuit halienticon 92 '*Discripsit* sedes varie natura profundi Nec cunctos una voluit consistere pisces', compluribusque Maullius versibus 'Quattuor in partes caeli

discribitur orbis, 'Ac velut humana est signis *discripta* figuris' (intellegas enim 'divisas hominis per sidera partes'), 'Et certis *discripta* nitent regionibus astra', 'Utque per ingentis populus *discribitur* urbes', al.; neque 'regnator lyricae cohortis' illud verbum perhorruit. Ac vulgo quidem Horatii carm. II 13, 23 'sedesque *discretas* piorum' edidere cum Bentleio qui eas interpretatur 'separatas, remotas a sedibus et contagione impiorum', discrevisse opinatus poetam tanquam seiunctas omni ex parte regiones Tartarum, in quo Aeacus ius diceret, et Elysium, ubi audientibus umbris Sappho Alcaeusque canerent. Quam tamen opinionem prorsus non convenire cum mente Horatii ultimae duae strophae evincunt, quibus stupere illis carminibus Cerberus, Prometheus, Tantalus, Orion scribuntur. In Elysiisne campis Cerberum latrantem et sitientem Tantalum poeta collocavit? An 'poetica cum licentia usum finxisse etiam damnatos poetarum in piorum sedibus collocatorum cantus exaudire' Orellius tibi persuadebit? Immo vero perperam 'sedes *discretas*' Bentleius et hunc qui sequebantur, explicasse iudicandi sunt. Verum etiam profectum ab Horatio *discretas* esse nego: qui quoniam *descriptas* maximae auctoritatis libris confirmatur, scripserat ipsum illud quod est in vetustiore Bernensi 'sedesque *discriptas* piorum', id est varie dispositos ('gruppirt') piorum ordines. Ovidii enim et Ciceronis in Rullum II 16, 40 et 35, 95 supra scripta verba tibi comparanti apparebit, in *discribendo* quae inest specialem scribendi notionem a poeta adeo potuisse negligi ut non teneret nisi generalem digerendi. Sententiarum autem ordo quam apte iam procedit: ingressus regnum Proserpinae, cuius primo statim introitu incidit in Aeacum, diversis sedibus ac locis dispersitas videt umbras piorum varios iniisse coctus quales Vergilius Aen. VI 642—665 singillatim persecutus est. Horatius vero reliquis praetermissis ad Sapphonem accedit Alcaicumque et eis circumfusam multitudinem. Ceterum probabile mihi videtur, in tota hac inferorum descriptione, ut in aliis

carminibus (cf. Meinekius praef. II. ed. p. IV), tabulam animo poetae obversatam esse non dissimilem eis picturis quae in vasis Apulis conspiciuntur (cf. Prellerus mythol. gr. I p. 519), nisi quod in Orphei locum lyricus poeta Sapphorem et Alcaeam substituit. Nam cum alia tum maxime densum humeris volgus, demittens belua aures, recreati quibus Eumenidum capilli redimiuntur angues, non curans Orion leones agitare tam vividam imaginem effingunt ut non res descriptas a poeta magis credas quam depictas ab artifice figuras. Denique picturae si statueris imitationem, facillime qui factum sit expediveris, ut Tartareae poenae ac terrores iuxta sedes piorum ponerentur.

Franciscus Buecheler.

Addendum.

P. 603 quod Horatium scripsisse dixi *discriptas*, idem Cruquius Blandinius duos habuisse testatus servari voluit. P. 582 *musquam* '*Ixionis rotam sufflaminandam*' monente amico in *semel* corrigo: nam praeter Senecam Augustus 'quotidiano sermone quaedam frequentius et notabiliter usurpare' solitus illo vocabulo similiter usus est. cum Haterium, cui 'tanta erat velocitas orationis, ut vitium fieret', facete diceret esse sufflaminandum.

F. B.

Druckfehler.

S. 476 B. 1 lies nicht recht für recht

S. 618 Rete *) lies ultramundan
